



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Summula Casuum Conscientiæ**


In Qva Agitur De Præceptis Ecclesiæ, De Officio Confessarii, Ac De  
Censuris

**Petrus <a Sancto Josepho>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1652**

Capvt V. De quinto Ecclesiæ præcepto. Quo fideles tenentur suis  
Pastoribus decimas soluere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41572**



## CAPVT V.

DE V. ECCLESIAE  
PRÆCEPTO.

QVO FIDELES TENENTVR SVIS  
Pastoribus decimas soluere.




**P**E Primitiis, oblationibus, & decimis sufficienter pro instituto nostro egimus in Idea Theologiae moralis lib. 4. c. 3. Quare hic tantum pro praxi tria obseruanda sunt 1. In solutione decimarum spectandam esse locorum consuetudinem. Ita vt quoad quantitatem soluendam, quoad bona ex quibus solutio fieri debet, quoad locum in quo solutio facienda est, quoad tempus soluendi &c. habeatur ratio consuetudinis receptae in loco, in quo quisque versatur

*Obseruandum 2.* non soluentes decimas grauiter peccare, & teneri ad restitutionem. Imo tam illos, quam solutionem decimarum impediens excommunicandos esse, iuxta decretum Concilii Tridentini sess. 25. cap. 12. de reformat. cuius haec sunt verba. Non sunt ferendi qui variis artibus decimas Ecclesiis obuenientes subtrahere moliuntur, aut qui ab aliis soluendas temere occupant, & in rem suam vertunt: cum decimarum solutio debita sit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas inuadunt. Praecipit igitur sancta Synodus omnibus cuiuscunque gradus, & conditionis sint ad quos decimarum solutio spectat, vt eas ad quas de iure tenentur, in posterum cathedrali, aut quibuscunque alii Ecclesiis, vel personis quibus legitime debentur, integre persoluant. Qui vero eas aut subtrahunt, aut impediunt excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta absoluantur. Hortatur dehinc omnes, & singulos



gulos pro Christiana charitate, debitoque erga Pastores suos munere, ut de bonis sibi à Deo collatis, Episcopis, & Parochis qui tenuioribus præsunt Ecclesiis, largè subuenire ad Dei laudem, atque ad Pastorum suorum, qui pro eis inuigilant, dignitatem tuendam, non grauentur. Vbi quod dicitur, prædictos non esse absoluendos, donec restituant, intelligi debet, modo restituere possint.

Observandum 3. non tantum eos peccare, qui decimas siue ex toto, siue ex parte non soluunt, sed etiam illos qui partem deteriorem mala fide tribuunt. Nam quamuis meliorem dare non teneantur, æquitas tamen exigit ut saltem mediocrem pendant. Unde secus facientes tenentur ad restitutionem, nisi bona fide excusentur.



OPUSCULVM II.

DE OFFICIO  
CONFESSARII.



VM in præcedenti opusculo de Officio pœnitentiæ latè actum sit ratio doctrinæ postulare videtur, ut de officio ipsius Confessarii hoc loco accuratè tractemus. Totum autem hoc officium ad tria Capita reuocabimus, in quorum 1. agetur de prærequiritis in confessario antequam audiat confessiones. In 2. de reuocatis quando actu confessiones audit In 3. de reuocatis postquam confessiones excepit.